

I

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIO APOSTOLICA DE SACRO MONIALIUM INSTITUTO PROMOVENDO

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sponsa Christi Ecclesia, vel a primis suae historiae incunabulis existimationis ac maternae dilectionis sensus, quibus erga sacras Deo Virgines suaviter ferebatur, tam iteratis actibus ac signis patefecit quam perspicuis documentis confirmavit.

STATUTA GENERALIA MONIALIUM

Art. I

§ 1. Monialium nomine in hac Constitutione, ad normam iuris, (c. 488, 7°) veniunt, praeter religiosas votorum solennium, illae etiam quae vota simplicia, perpetua vel temporaria, professae sunt in Monasteriis in quibus vota solennia vel actu nuncupantur vel ex instituto emitti deberent; nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud certo constet.

§ 2. Legitimo Monialium nomini (c. 488, 7°) et iuris Monialium applicationi minime officiant: 1) *profesio simplex* in Monasteriis legitime emissa (§ 1); 2) *clausura pontificia minor* quae Monasteriis sit praescripta vel rite concessa; 3) *operum apostolatus exercitium*, quod cum vita contemplativa coniunctum sit, sive ex instituto a S. Sede pro aliquibus Ordinibus probato et confirmato, sive ex legitimis S. Sedis pro nonnullis Monasteriis praescripto aut concessione.

§ 3. Apostolica haec Constitutio iuridice non respicit: 1) Congregationes religiosas (c. 488, 2°) Sororesque ipsarum sodales (c. 488, 7°), quae ex instituto vota tantum simplicia nuncupant; 2) Societates mulierum in comuni ad instar religiosarum viventium earumque sodales (c. 673).

Art. II

§ 1. Peculiaris ratio vitae religiosae monasticae, quam Moniales fideliter sub rigida regulari disciplina colere debent, et ad quam ab Ecclesia destinantur, est vita contemplativa canonica.

§ 2. Vitae contemplativae canonicae nomine intelligitur non illa interna et theologica ad quam animae omnes in Religionibus imo et in saeculo viventes invitantur, quamque apud se singulae ducere ubique valent; sed exterior disciplinae religiosae professio quae, sive ex clausura, sive ex pietatis, orationis mortificationisque exercitiis, sive denique ex laboribus quibus Moniales incumbere debent, in interiorem contemplationem ita ordinatur, ut eiusdem studio tota vita totaque actio et facile valeat et efficaciter debeat imbui.

§ 3. Si vita contemplativa canonica sub rigida regulari disciplina habitualiter servari non possit, character monasticus nec concedendus est nec, si iam habeatur, retinendus.

Art. III

§ 1. Vota religiosa solemnia, ab omnibus Monasterii sodalibus vel ab una saltem ipsarum classe nuncupata, praecipuam notam efficiunt ex qua Monasteria mulierum, non inter Congregationes religiosas sed inter Ordines regulares iure numerantur (c. 488, 2°). Religiosae autem in his Monasteriis professae omnes, Regularium appellatione in iure, ad normam c. 490, veniunt, atque non Sororum sed Monialium proprio nomine vocantur (c. 488, 7°).

§ 2. Monasteria omnia, in quibus vota tantum simplicia nuncupantur, votorum solemnium instaurationem impetrare poterunt. Quinimmo, nisi prorsus graves obsint rationes, eadem iterum suscipere curabunt.

§ 3. Solemnes antiquae formulae consecrationis Virginum, quae in Pontificali Romano habentur, Monialibus reservantur.

Art. IV

§ 1. Severior Monialium clausura, quae pontificia dicitur, firmis semper ac pro omnibus Monasteriis iis notis quae eidem quasi naturales sunt, duplex in posterum distinguetur: *maior* et *minor*.

CONSTITUTIO APOSTOLICA "SPONSA CHRISTI"

§ 2. 1° Clausura pontificia *maior*, illa scilicet quae in Codice describitur (cc. 600-602), hac Nostra Apostolica Constitutione plane confirmatur. Sacra Congregatio de Religiosis, Nostra Auctoritate, declarabit quas ob causas dispensatio a clausura maiori concedi possit, ut, rei natura incolumi, nostri temporis adiunctis aptius eadem accommodetur.

2° Clausura pontificia maior, salvo § 3, 3°, in omnibus Monasteriis vigere ex regula debet, quae vitam contemplativam unice profitentur.

§ 3. 1° Clausura pontificia *minor* illa ex antiqua clausura Monialium retinebit, illisque sanctionibus defendetur, quae ad ipsius naturalem rationem conservandam ac vindicandam necessaria in Instructionibus S. Sedis expresse definiuntur.

2° Huic pontificiae minori clausurae obnoxia sunt Monasteria Monialium votorum solemnium quae, sive ex instituto sive ex legitima concessione, ita ministeria cum extraneis suscipiunt, ut plures religiosae et notabilis domus pars habitualiter in haec ministeria incumbant.

3° Pariter, saltem huius clausurae praescriptis subiici debent omnia et singula Monasteria, etsi unice contemplativa, in quibus vota tantum simplicia nuncupantur.

§ 4. 1° Clausura pontificia maior vel minor, necessaria condicio habenda est, non solum ut vota solemnium emitti possint (§ 2) sed etiam ut illa Monasteria, in quibus vota simplicia nuncupantur (§ 3), ut vera Monasteria Monialium ad normam c. 488, 7° in posterum habeantur.

2° Si regulae clausurae pontificiae, saltem minoris, observari plerumque non possint, vota solemnium quae habeantur adimenda sunt.

§ 5. 1° Clausura pontificia minor, quoad illas praesertim notas in quibus a clausura Congregationum vel Ordinum virorum distinguitur, observanda est in locis ubi Moniales vota solemnium non nuncupant.

2° Si autem certo appareat in aliquo Monasterio clausuram saltem minorem ex more servari non posse, Monasterium illud in domum vel Congregationis vel Societatis mutandum erit.

Art. V

§ 1. Ecclesia ad orationem publicam, quae eius nomine, sive in choro (c. 610, § 1) sive privatim (c. 610, § 3), Deo funditur, solas Moniales inter mulieres Deo sacras deputat; easque ex regula ad normam suarum Constitutionum, huic orationi horis canonicis cotidie persolvendae graviter obstringit.

CONSTITUTIO APOSTOLICA "SPONSA CHRISTI"

§ 2. Omnia Monialium Monasteria singulaeque Moniales vota solemnina vel simplicia professae, Officium divinum in choro ad normam c. 610, § 1, et suarum Constitutionum, ubique recitare tenentur.

§ 3. Iuxta c. 610, § 3 Moniales, quae a choro abfuerunt, si vota solemnina non nuncupaverint, ad privatam horarum recitationem, nisi aliud expresse praescribant Constitutiones (c. 578, 2°), restricte non tenentur; tamen non solum Ecclesiae mens est, ut supra diximus (art. IV), ut vota Monialium solemnina ubique instaurentur, sed etiam, si ad tempus instaurari non valeant, ut Moniales vota perpetua simplicia loco solemnium professae, pensum Officii divini fideliter absolvant.

§ 4. Missa conventualis in omnibus Monasteriis Officio diei respondens, secundum rubricas, quoad fieri possit celebrari debet (c. 610, § 2).

Art. VI

§ 1. 1° Monialium Monasteria, secus ac aliae religiosae mulierum domus, ex Codice et ad ipsius normam sui iuris sunt (c. 488, 8°).

2° Antistitae singulorum Monasteriorum Monialium in iure Superiores maiores sunt, omnibusque facultatibus donantur quae Superioribus maioribus competunt (c. 488, 8°), nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliquae ad viros tantum attineant (c. 490).

§ 2. 1° Ambitus condicionis *sui iuris* seu autonomiae quam vocant Monasteriorum Monialium et iure communi et iure peculiari definitur.

2° Tutelae iuridicae, quam ius sive Ordinariis locorum sive Superioribus regularibus quoad singula Monasteria concedit, neque ex hac Constitutione neque ex Foederationibus Monasteriorum a Constitutione permissis (art. VII) atque eius auctoritate inductis, quovis modo derogatur.

3° Iuridicae relationes singulorum Monasteriorum cum Ordinariis locorum vel Superioribus regularibus, ex iure communi atque ex iure peculiari regi pergunt.

§ 3. Hac Constitutione nullo modo definitur utrum singula Monasteria Ordinarii loci potestati obnoxia sint an, intra terminos iuris, de ea sint exempta et Superiori regulari subiaceant.

Art. VII

§ 1. Monasteria Monialium non solum sui iuris sunt (c. 488, 8°), sed etiam iuridice distincta atque invicem independentia, nullis vinculis praeter quam spiritualibus ac moralibus, inter se unita ac devincta, etsi eidem primo Ordini vel religioni iure sint subiecta.

§ 2. 1° Monasteriorum mutuae libertati, potius facto receptae quam iure impositae, nullo modo officit Foederationum constitutio; neque eae Foederationes haberi debent ut iure prohibitae vel quomolibet naturae et finibus vitae religiosae *Monialium minus consentaneae*.

2° Monasteriorum Foederationes quamvis regula generali non praecipiantur, tamen a Sede Apostolica valde commendantur non solum ad mala et incommoda praecavenda quae ex plena separatione oriri possunt, sed etiam ad regularem observantiam vitamque contemplativam provehendam.

§ 3. Constitutio cuiuslibet formae Foederationis Monasteriorum Monialium vel Confoederationis Foederationum Sedi Apostolicae reservatur.

§ 4. Omnis Foederatio seu Confoederatio suis legibus a S. Sede probatis, ordinari ac regi necessario debet.

§ 5. 1° Salvis art. VI, §§ 2, 3, et salva praecipua autonomiae ratione supra definita (§ 1), nihil vetat quominus in Foederationibus Monasteriorum ineundis, ad exemplum nonnullarum Congregationum monasticarum et Ordinum sive Canonicorum sive Monachorum, quaedam huius autonomiae inducantur aequae condiciones et intermissiones, quae necessariae vel magis utiles videantur.

2° Formae tamen Foederationis quae praedictae autonomiae de qua diximus (§ 1) contrariae videantur et ad rationem regiminis centralis accedant, S. Sedi speciali modo reservantur, nec sine expressa Ipsius concessionem institui possunt.

§ 6. Foederationes Monasteriorum ex fonte unde proveniunt atque ex Auctoritate a qua directe dependent et reguntur, sunt iuris pontificii ad normam iuris canonici.

§ 7. S. Sedes immediatam vigilantiam et auctoritatem, prout casus ferat, in Foederationem exercere poterit per aliquem Adsistentem religiosum, cuius munus erit non tantum S. Sedem repraesentare sed etiam conservationem genuini spiritus proprii Ordinis fovere et Superiorissas in recto ac prudenti Foederationis regimine opera et consilio adiuvare.

§ 8. 1° Statuta Foederationis non solum praescriptis normis a S. Congregatione de Religiosis Nostra Auctoritate elaborandis, sed etiam naturae, legibus, spiritui et traditionibus sive asceticis sive disciplinaribus sive iuridicis et apostolicis proprii Ordinis, conformentur oportet.

2° Foederationum Monasteriorum praecipuus finis est fraternum adiutorium sibi mutuo praestare, non solum in spiritu religioso ac in regulari monastica disciplina fovendis, sed etiam in rebus oeconomicis provehendis.

3° Si casus ferat, peculiare normae in approbandis Statutis tradendae sunt, quibus moderari oporteat facultas et moralis obligatio petendi

ac mutuo sibi concedendi Moniales, quae tum ad regimen Monasteriorum, tum ad institutionem novitiarum in communi novitiatu pro omnibus vel pro pluribus Monasteriis erigendo, tum denique ad aliis moralibus vel materialibus Monasteriorum aut Monialium necessitatibus providendum, necessariae existimentur.

Art. VIII

§ 1. Labor monasticus, cui etiam Moniales vitae contemplativae incumbere debent, Regulae, Constitutionibus, traditionibus singulorum Ordinum debet esse pro viribus consentaneus.

§ 2. Labor ita ordinari debet ut, simul cum aliis rationibus ab Ecclesia probatis (cc. 547-551, 582), et cum subsidiis a Divina Providentia suppeditatis, securam reddat ac convenientem Monialium sustentationem.

§ 3. 1° Ordinarii locorum, Superiores regulares et Superiorissae Monasteriorum ad Foederationum, omnem tenentur diligentiam adhibere ut necessarius, adaequatus ac proficiuus labor numquam Monialibus desit.

2° Moniales vero ex conscientiae officio tenentur, non solum ad sibi honeste frontis sudore panem quo vivant, ut monet Apostolus (II Thess. III, 10) lucrandum, sed etiam ad sese, prout tempora exigunt, in dies ad diversa opera habiliores reddendas.

Art. IX

Moniales omnes ut divinae apostolicae vocationi fideles inveniantur, non tantum generalia monastici apostolatus instrumenta adhibere debent, sed praeterea sequentia observare curabunt.

§ 1. Moniales quae in propriis Constitutionibus seu legitimis praescriptis specialis apostolatus opera definita habent, ad normam Constitutionum seu Statutorum ac praescriptionum sese fideliter eisdem dare ac consecrare tenentur.

§ 2. Moniales quae vitam unice contemplativam profitentur:

1° si in propriis traditionibus aliquam externi apostolatus specialem formam acceptam habeant vel habuerint, illam hodiernis necessitatibus aptatam, salva semper ipsarum vita contemplativa, retineant fideliter, et si perdidierint, eam restituere diligenter curent. Si vero circa adaptationem aliquid dubium remaneat, S. Sedem consulant;

2° ex adverso, si vita pure contemplativa neque ex Ordinis probatis Constitutionibus neque ex traditione externo apostolatus hucusque coniuncta iugi constantique ratione fuerit, tunc nonnisi in casibus necessitatis et per limitatum tempus, in illis apostolatus formis singularibus praesertim seu personalibus, occupari poterunt aut, ex caritate saltem, debebunt, quae cum vita contemplativa, prout in Ordine servatur, iuxta criteria a S. Sede figenda, compatibles videantur.

Quaecumque autem his Litteris decreta continentur, ea omnia stabilia, rata, valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiarissima etiam mentione dignis.

Earum vero exemplis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem volumus haberi fidem, quae haberetur praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur liceat hanc paginam Nostrae declarationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesima prima mensis novembris, Praesentationi B. Mariae V. sacra, anno iubilari millesimo non-gentesimo quinquagesimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

I N S T R U C T I O

AD CONSTITUTIONEM "SPONSA CHRISTI" IN PRAXIM DEDUCENDAM

I. Inter praeclara documenta quibus Ss. mus Dominus Noster, Pius Div. Prov. Papa XII, tamquam pretiosissimis gemmis Maximum Iubilaeum ornare et coronare voluit, non ultimum certe locum obtinet Apostolica Constitutio "*Sponsa Christi*", de sacro ac venerando Monialium Instituto in Ecclesia Dei promovendo et renovando. S. Congregatio, quae pro suo munere et officio fideliter prompteque Ss. mo in omnibus adstat, quae ad Statum perfectionis spectant, commissionem reverenter ac libenter ab Ipso hanc accepit, tot adspcetibus vere praeclaram Constitutionem, executioni mandandi atque securam et facilem ipsius applicationem reddendi.

II. S. Congregatio ut tam honorifico muneri satisfaciat, in hac Instructione practicas normas colligit circa illa quae maiorem difficultatem offerunt.

III. Porro, specialem prae se ferunt difficultatem specialique proinde indigent declaratione: 1° ea quae ad Monialium clausuram maiorem vel minorem sese referunt; 2° ea quae de Foederationibus inducendis et de autonomia moderata constituuntur; 3° ea tandem quae de fructifero labore Monasteriis procurando et inter ipsa coordinando in Apostolica Constitutione innuuntur.

I

DE MONIALIUM CLAUSURA MAIORI ET MINORI

IV. Constitutio "*Sponsa Christi*" (art. IV) pro omnium Monialium Monasteriis clausuram peculiarem praescribit quae a clausura episcopali Congregationum differt (c. 604), quaeque ex generali norma iuris, ut clausura regularis virorum, papalis est (c. 597, § 1); immo, quoad plura praescripta, tum pro ingressu extraneorum intra clausurae limites cum pro Monialium ab eisdem egressu, normis severioribus, quam clausura papalis virorum, regitur.

V. Clausura papalis Monialium in posterum duplex erit: *maior*, quae Monasteriis reservatur in quibus, licet numerus Monialium imminutus sit, vota sollemnia emittuntur et vita unice contemplativa ducitur; et *minor* quae, ex regula, Monasteriis applicatur in quibus vita non unice contemplativa colitur vel ubi Moniales vota tantum simplicia profitentur.

I. CLAUSURA PAPALIS MAIOR

VI. Clausura papalis *maior* illa est, quae in Codice prostat (cc. 600, 602), a S. Congregatione, Instructione "*Nuper edito*", S. P. Pio XI, f. m. die 6 februarii a. 1924 approbante (1), accurate definita. Haec clausura in Constitutione "*Sponsa Christi*" plene confirmatur; salvis declarationibus quae sequuntur, quasque Constitutio S. Congregationi faciendas committit (art. IV, § 2, 1°) ut illius observantia temporum necessitatibus adiunctisque locorum prudenter accommodetur.

VII. Moniales quae clausura papali maiore ligantur, emissa professione, vi huius professionis atque legis ecclesiasticae praescripto, gravem obligationem contrahunt:

1° semper intra Monasterii septa manendi quae sub definitis clausurae limitibus posita sunt (2), ita ut ipsis inde vel ad momentum exire quovis praetextu vel colore (3) non liceat sine speciali S. Sedis indulto, exceptis tantum casibus in canonibus (4) et Instructionibus S. Sedis (5) expressis vel qui in approbatis ab ipsa S. Sede Constitutionibus seu Statutis contemplantur;

2° in partes Monasterii clausurae legi obnoxias (6) nullam admittendi personam, cuiusvis generis, conditionis, sexus, aetatis, etiam ad temporis momentum, sine speciali indulto S. Sedis, exceptis personis et casibus in canonibus expressis (7) atque in S. Sedis instructionibus (8) approbatisque ab Ipsa Constitutionibus vel Statutis.

VIII. 1° Indulta ac dispensationes egrediendi e clausura maiori post emissam professionem (VII, 1°) vel in ipsam ingrediendi aut alios admittendi (ib., 2°), uni S. Sedi reservantur et ab Ipsa, vel eius nomine ac delegatione, unice concedi valent.

(1) A. A. S., XII (1924), p. 96-101.

(2) Can. 597.

(3) Instr. *Nuper edito*, III, 1, b. d.

(4) Can. 601.

— (5) Instr. cit. III, 1, a.

(6) Can. 597, §§ 2, 3.

(7) Can. 600, P. C. I.

(8) Instr. cit. III, 2 a. u.

2° Causae ad dispensationes obtinendas, adiunctis casuum, temporum ac locorum aequè ponderatis, attentisque praxi et stilo Curiae, proportionate graves esse debent.

IX. 1° Facultas dispensandi ab homine dari potest, sive ad definitum tempus pro omnibus casibus qui eo currente acciderint, sive ad certum casuum numerum. Nihil tamen vetat quin aliquae concessionès habituales in iure particulari, legitime approbato, e. g. in Constitutionibus, in Foederationum statutis similibusque documentis, fiant.

2° Indulta et dispensationes, sive *ab homine* sive *a iure*, generali aut particulari, procedant, ad normam Instructionum S. Sedis (9), ac praxis stilique Curiae, conditiones cautelasque definire debent quibus dispensatio subiicitur.*

X. Poenas contra huius clausurae leges violantes illae firmæ manent quae in Codice continentur (c. 2342, nn. 1, 3).

II. CLAUSURA PAPALIS MINOR

XI. Clausura papalis *minor*:

1° regulas fundamentales clausurae Monialium, quatenus ipsa tam a clausura Congregationum (c. 604) quam etiam a clausura Ordinum virorum (cc. 598-599) longe distat, salvas relinquit;

2° securam et omnibus patentem observantiam et custodiam castitatis solennis reddat oportet;

3° vitam contemplativam Monasterii protegere et efficaciter fovere debet.

4° Ministeria quae Ecclesia his Monasteriis consulto commisit, ita sub hac clausura papali minori cum vita contemplativa componenda sunt ut haec salva prorsus sit illaque rite et fructuose exerceri valeant.

5° In Monasteriis quae approbatis operibus vacant, praescriptum canone 599, § 1 pro clausura Regularium virorum, quod Congregationum clausurae, canone 604, § 2, etiam applicatur, rigide et fideliter observandum est, ita ut clara perfectaue separatio semper adsit inter aedes seu aedium partes habitationi Monialium vitaeque monasticae exercitiis destinatas et illas quae operibus addicuntur.

XII. Clausura papalis minor secumfert:

1° gravem prohibitionem admittendi intra partes domus, Monialium Communitati desinatas et legitime clausurae subiectas (c. 597), quaslibet

(*) Instr. cit. III, 2.

CONSTITUTIO APOSTOLICA "SPONSA CHRISTI"

personas Communitati extraneas, cuiusvis generis, conditionis, sexus atque aetatis, ad normam can. 600;

2° prohibitionem etiam gravem pro Monialibus post professionem egrediendi extra septa Monasterii, eadem ratione ac Moniales clausurae maiori subiectae (n. VII-IX).

XIII. 1° Egressus Monialium e partibus Communitati reservatis ad alia loca intra septa Monasterii posita et operibus apostolatus addicta, tantum huius ratione, illis ex venia Superiorissae adhibitisque cautelis licet, quae ad normam Constitutionum praescriptorumque S. Sedis apostolatus exercendo quomodolibet destinantur.

2° Dispensationes a praescripto n. XII, 2°, si quae, ratione apostolatus, necessariae sint, concedi tantum possunt Monialibus aliisque sodalibus quae ministeriis sint legitime adscriptae, onerata graviter conscientia Superiorissarum, Ordinariorum et Superiorum quibus clausurae tutela commissa est (c. 603).

XIV. Ingressus extraneorum ad loca Monasterii operibus destinata his normis regitur:

1° ingressus habitualis licet alumnis seu alumnabus, aliisque in quorum favorem ministeria exercentur et mulieribus tantum quae, ministeriorum ratione et occasione, cum ipsis relationem habere necessario debent:

2° exceptiones quae admitti necessario debent, e. g. quae a legibus civilibus ratione inspectionum, examinum aliisque de causis imponi solent, Ordinarius loci, ut tales, generali seu habituali declaratione definiat;

3° aliae exceptiones, si quae quandoque in casibus singulis videantur vere necessariae, Ordinarii expressis concessionibus reservantur, qui ex conscientiae officio prudentes cautelas imponere debet.

XV. 1° Moniales illegitime e septis Monasterii exeuntes excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata ad normam can. 2342, 3°, vel ex expressa concessionem Ordinario loci reservata, ipso facto plectuntur.

2° Moniales illegitime egredientes e partibus Monasterii Communitati reservatis ad alia loca intra septa Monasterii posita, a Superiorissa vel ab Ordinario loci pro gravitate culpae puniendae sunt.

3° Illegitime ingredientes et eos introducentes vel admittentes in partes Monasterii Communitati reservatas, excommunicationem S. Sedi simpliciter reservatam incurrunt.

4° Illegitime ingredientes et eos introducentes vel admittentes ad loca Monasterii extra partes Communitati destinatas ab Ordinario loci ubi Monasterium adest, severe pro gravitate culpae puniantur.

XVI. Clausurae papalis minoris dispensationes ex regula, exceptis casibus in iure admissis, S. Sedi reservantur.

Facultates plus minus latae, prout adiuncta exigere videantur, sive ab homine sive in Constitutionibus et Statutis possunt Ordinariis delegari.

II

DE FOEDERATIONIBUS MONASTERIORUM MONIALIUM

XVII. Foederationes Monasteriorum Monialium, ad normam Constitutionis "*Sponsa Christi*" (art. VII, § 2, 2°), tam ad damna vitanda quae gravius et facilius Monasteriis prorsus independentibus obvenire solent quaeque per unionem efficaciter magna ex parte evitari possunt, quam etiam ad bona spiritualia et temporalia fovenda, enixe commendantur.

Etsi ex regula Foederationes non imponantur (art. VII, § 2, 2°), rationes tamen ex quibus in genere commendantur, ita in casibus particularibus urgere possunt, ut omnibus perpensis, a S. Congregatione ipsae tamquam necessariae aestimentur.

XVIII. Foederationes Monasteriorum non impediri debent ex eo quod Monasteria quae ipsas constituere intendunt, ut singula, Superioribus regularibus sint subiecta. In *Statutis Foederationis* ratio haberi debet huius communis subiectionis.

XIX. Quando ex mente Fundatoris vel ex qualibet alia superveniente ratione, aliqua extiterit veluti inchoatio unionis vel foederationis Monasteriorum ipsius ordinis vel instituti, ipsa Foederatio ita perficienda est ut ratio habeatur illorum quae prius iam recepta vel adumbrata erant.

XX. Monasteriorum Foederatio nullo modo directo afficit habitudinem singulorum Monasteriorum ad Ordinarios locorum aut Superiores regulares ad normam iuris communis vel particularis vigentem. Hinc, nisi expresse ac legitime huic regulae derogetur, potestas Ordinariorum ac Superiorum regularium ex Foederatione nec augetur, nec minuitur, nec in aliquo modificatur.

XXI. In Foederationis Statutis possunt aliqua circa Foederationem iura Ordinariis vel Superioribus concedi, quae ex regula eisdem non competent, incolumi generatim iure in singula Monasteria qua talia.

XXII. Unionum seu Foederationum generales ac praecipui fines et commoda sunt:

CONSTITUTIO APOSTOLICA "SPONSA CHRISTI"

1° facultas, iuridice agnita, atque officium canonicè sancitum fraterni adiutorii, tam in regularis observantiae conservatione, defensione, incremento, rebusque oeconomicis quam in omnibus aliis mutuo sibi praestandis;

2° erectio novitiatuum omnibus seu pluribus Monasteriis communium pro casibus in quibus, sive ob defectum personarum ad officia directionis necessariorum sive ob alia adiuncta moralia, oeconomica, localia, etc., in singulis Monasteriis solida et practica institutio spiritualis, disciplinaris, technica, culturalis dari certe non possit;

3° facultas et moralis obligatio, certis normis definita, a Monasteriis foederatis suscepta, petendi ac mutuo sibi concedendi Moniales quae ad regimen et formationem necessariae esse possunt;

4° possibilitas et libertas mutuae temporariae communicationis seu cessionis subiectorum, et etiam destinationis ratione infirmitatis aliusve moralis vel materialis necessitatis.

XXIII. Characteres et notae Foederationum, quae si complexive sumantur essentialia habendae sunt, sequentes recensentur:

1° Foederationes Monialium, *ex fonte* unde proveniunt atque *ex auctoritate* a qua ut tales directe dependent ac reguntur, sunt *iuris pontificii* ad normam Codicis (c. 488, 3°). Hinc, S. Sedi competit et reservatur non tantum ipsarum erectio (10), verum et Statutorum approbatio atque Foederationi Monasteriorum adscriptio vel ab eadem separatio (11).

Salvis quoad singula Monasteria his omnibus quae a Codice Ordinariis tribuuntur, Foederationes S. Sedi in iis omnibus subiiciuntur, nisi aliquid legitime atque expresse excipiat, in quibus Religiones mulierum iuris pontificii eidem S. Sedi directe subiecta sunt. Ex quibus aliqua S. Sedes, prout censuerit, suis immediatis pro Foederationibus Adsistentibus seu Delegatis, habitualiter vel ad casum committere poterit.

2° *Ex parte ambitus seu extensionis*, nisi exiguus Monasteriorum numerus vel aliae iustae proportionataeque causae aliud exigant, potius per regiones, utpote facillioris regiminis, constituendae sunt.

3° *Ex parte personarum moralium*, quibus, qua personae collegiales (c. 100, § 2), constituuntur, Foederationes ex Monasteriis eiusdem Ordinis eiusdemque internae observantiae componuntur, etsi non necessario eiusdem subiectionis Ordinario loci vel Superiori regulari, nec eiusdem classis votorum vel formae clausurae esse debent.

(10) Const. *Sponsa Christi*, art. VII, § 3.

(11) Const. *Sponsa Christi*, art. VII, § 4.

4° Si necessitas, magna utilitas vel Ordinum traditiones suadeant, admitti possunt Confoederationes Foederationum regionalium.

5° Ratione autem independentiae Monasteriorum, vinculum quo Monasteria foederata inter se vinciuntur tale esse oportet ut autonomiae, essentiali saltem (c. 488, 2°, 8°), non adversetur. Etsi autonomiae derogationes praesumendae non sunt, concedi tamen valent, praevio singulorum Monasteriorum consensu (12), si graves causae id suadere vel exigere videantur.

XXIV. Antequam erigi valeant, omnes Foederationes Monasteriorum Monialium propria Statuta habere debent a S. Sede approbanda (13). In his Statutis accurate definiri debent praesertim:

- 1° fines quos unaquaeque Foederatio sibi proponit (14);
- 2° ratio qua Foederationis regimen ordinandum erit, sive quoad elementa ex quibus constabit, ut ecce Praeside, Visitatricibus, Consilio, etc., sive quoad modum ad haec munera designandi, sive tandem quoad ipsius regiminis potestatem ac rationem procedendi;
- 3° media quibus Foederatio uti debet ut fines quos prosequitur suaviter et fortiter consequi valeat;
- 4° condiciones et modus quibus executioni mandari debeant ea quae circa personarum mutuam communicationem in art. VII, § 3, n. 2° Constitutionis "*Sponsa Christi*", et n. XXII, 4° huius Instructionis statuuntur;
- 5° conditio iuridica Moniales in aliud Monasterium translatae, sive in Monasterio a quo transfertur sive in Monasterio ad quod fit translatio;
- 6° oeconomica cooperatio, quae ad opera communia totius Foederationis a singulis Monasteriis praestanda sit;
- 7° regimen sive novitiatus communis sive aliorum operum communium si quae habeantur.

XXV. 1° Ut S. Sedes directam et efficacem vigilantiam atque auctoritatem in Foederationes exercere valeat, unicuique Foederationi dari potest, prout necessitas vel utilitas suadeat, Adsisrens religiosus.

2° Adsisrens religiosus, illis quorum interest auditis ad normam Statutorum, a S. Congregatione nominatur.

3° In singulis casibus eius officia in documento nominationis accurate definientur. Praecipua autem haec sunt: curare ut genuinus spiritus vitae profunde contemplativae et spiritus etiam proprii Ordinis ac Instituti in Foederatione secure conservetur et augeatur; similiter, ut prudens ac rec-

(12) Cfr. Const. *Sponsa Christi*, art. VII, § 5, 2.º

(13) Const. *Sponsa Christi*, art. VII, § 4.

(14) Cfr. supra n. XXIV.

tum regimen in Foederatione instruat et retineatur; solidae novitiarum ac ipsarum religiosarum institutioni religiosae consulere; in rebus oeconomicis maioris momenti Consilio adsistere.

4° Adsistens etiam munere veluti *Adessoris* fungetur, servatis normis pro singulis Foederationibus statuendis.

5° Eidem S. Sedes, prout casus ferant aliqua, delegabit seu committet quae opportuna videantur.

III

DE LABORE MONASTICO

XXVI. 1° Cum temporales vitae necessitates, ex Divinae Providentiae ordinatione, adeo quandoque urgeant ut Moniales moraliter coactae videantur ad alios praeter consuetos labores quaerendos vel acceptandos, ad horaria modificanda, imo etiam ad tempus labori dicatum forsitan augendum, sicut Christi fideles in similibus adiunctis, dispositionibus Divinae Providentiae omnes, qua verae religiosae, prompte ac humiliter sese subiiciant.

2° Tamen non anxie vel leviter ex arbitrio fiat, sed prudenter quantum necessarium seu conveniens reapse demonstratur, harmoniam inter sensum fidelitatis litterae et traditionis ac filialem subiectionem Divinae Providentiae permissionibus ac ordinationibus simplici animo quaerentes.

3° His prae oculis habitis, quae disponenda videantur, ecclesiasticae religiosae auctoritati, iuxta casus, subiiciatur.

XXVII. Superiores ecclesiastici et religiosi debent:

1° Omnibus modis fructiferum laborem Monialibus, quae ipso egeant, quaerere ac procurare, utendo etiam, si casus ferat, praeterquam aliis industriis honestis, commisionibus piarum mulierum aut virorum, imo caute et prudenter societatibus externis ad hoc constitutis;

2° prudenter invigilare perfectioni et ordini laborum, atque iusto pretio pro ipsis exigendo;

3° operum laborisque diversorum Monasteriorum coordinationi ita diligenter consulere, ut ea sese mutuo adiuvent, suppleant, compleant, atque vel a longe absit quaelibet etiam aemulationis species.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Religiosis, die **xxiii** mensis novembris, anno sacro **mdccccl**.

† C. Card. MICARA, Episc. Veliternus, *Praefectus*

L. † S.

A. Larraona, C. M. F.. *Secretarius*